UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 5. Instructione & motu Spiritus S. institutum fuit tribunal S. Officij Inquisitionis, ad Christi regni conseruationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52962

Visual Library

ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Adſtant præſentes quadringenti falſiloqui Prophetæ, miniſtri diaboli, per illos opus aggrediar. Quadringentos habuit ſibi huic ſtratagemati paratiſſimos: innumeros enim habet; vt decipiant homines, promptiſſimos.

Idcircò tam ſeriò Saluator ſuos admonuit, ſolliciti ambularent, prouidi circumſpicerent actiones, verba & doctrinam Satanæ miniſtrorũ: quia in his omnibus eadem cum dæmone feruntur intentione, cuius ſe miniſtros eſſe profitentur, populum conſcribunt, & fallunt, vt in æternum illum cum Satana propellant incendium: *Attendite à falſis Prophetis.* Miniſtris diaboli Quantum illi diabolo congregant exercitum? Quantùm

Matt. 7.15.

Arius? vix illa Hiſpaniæ prouincia, fidei Catholicæ licet ſtudioſiſſima, venenum euaſit hæreſeos. Quos poſt ſe traxit populos Manichæus; ita vt & ipſe Auguſtinus, triginta primis ætatis annis ſub eius vexillo militarit. Quàm innumeros diabolo conciliauit impius Heluidius, & Mahometh? quàm, vt pene dixerim infinitos, Lutherus & Caluinus? Hoc damnô noſtrô conſpicimus, patimur, & ad lacrymas commouemur, non ſine maxima fidelium omnium commiſeratione.

Attamen ſimili modò, nec ſuum voluit Chriſtus regnum deſtitui ducibus ac populo, qui huic eius conquiſitioni cooperarentur. In hunc igitur finem ſacratos elegit Apoſtolos, illis contra diabolum tribuens poteſtatem, qua poſſent illum, ſuperare, exterminare: *Ecce dedi vobis virtutem ſuper omnem poteſtatem inimici*, ſuis loquitur Apoſtolis, ac in hodierno Euãgelio clariùs oſtẽdit, tua illos pollere poteſtate, quãdo murmuratoribus, ac calumniatoribus: *In Beelzebub principe dæmoniorũ eijcit dæmonia*, reſpondit interrogatiuè: *Filij veſtri*, (Apoſtolos intelligebat filios Iudæorum,) *in quò eijciunt?* q.d. quòd ipſi non negabant, Apoſtolis datam eſſe virtutem eamque diuinam, quâ dæmones expellerent, ac ſuperarent, ad hoc tot elegit miniſtros: *Quid igitur eſt, Apollo? Quid verò Paulus? Miniſtri eius cui credidiſtis.* Dicit ipſe Paulus: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros.* Eius enim ſumus tribuni, eius centuriones. Ideò reliquit in Eccleſia ſua continuam Summorum Pontificum ſucceſſionem, qui generales eſſent exercitus Imperatores, titulumque ſumerent, quem primus omnium D. Gregorius magnus ſibi adſcripſit: *Seruus ſeruorum Dei.* Deinde ſubſtituit Epiſcopos, ac Prælatos de quibus præclarè D. Auguſt. Epiſcopos intelligens Catholicos & ſanctos ſui temporis, velut D. Irænæum, D. Cyprianum, D. Hilarium, D. Baſilium, D. Gregoriũ Nyſſenum & D. Gregorium Nazianzenum, D. Ambroſium, quos contra Arium nominat hæreticum: *Iſti Epiſcopi ſunt docti, graues Sancti, veritatis acerrimi defenſores aduerſus garrulas vanitates, qui fidem Catholicam in lacte ſuxerunt, quam in cibo ſumpſerunt, cuius lac & cibum paruis magniſque miniſtrarunt, quam contra inimicos etiã vos non damnatos apertiſſimè & fortiſſimè defenderũt.*

Luc. 10 19.

1. Cor. 3.

1. Cor. 4.1.

Quàm eximius fuit Dux D. Athanaſius contra Arium? Qualis contra Pelagium D. Auguſtinus: antagoniſta D. Hieronym. obſtitit Heluidio? quam fortis Eunomio D. Baſil. aduerſarius? quàm acriter Leo Pontifex Eutychen impugnauit? ſic igitur perpetuò Chriſtus prœliô & diabolus decertant, atque ſuorum operâ miniſtrorum, ſuos ſibi quiſque debellat aduerſarios.

§. 5. *Inſtructione & motu Spiritus S. inſtitutum fuit tribunal S. Officij Inquiſitionis, ad Chriſti regni conſeruationem.*

VErum enim verò ſingulariter miniſtri, quos Chriſtus Dominus huic muneri habet deſtinatos, illi ſunt, qui S. Officio Inquiſitionis deſeruiunt quos, inſpiratione moti diuina Summi Pontifices inſtituerunt, nominatim autem Innocentius Tertius, & eius ſucceſſor Honorius tertius, videntes hæreticorum exercitum copioſiſſimum, quem diabolus ſuſcitauerat, feruentiſſimum Chriſti regno id eſt Eccleſiæ bellum illaturus, à mortuis excitans veteres omnes hæreſes obliuione iam ſepultas Manichæorum, Pelagianorum, Arianorum, Catharorum, his ſuper addentibus innumerabiles alias Albigenſibus, alijſque monſtris infernalibus, qui tanta poteſtate, tum prodierunt, vt integris ſtipati exercitibus, innumeraque militum multitudine in maximas Eccleſiam adduxerant anguſtias: Hæc igitur conſpicati Pontifices, nullum tantis leuandis malis iudicarunt aliud ſupereſſe remedium, quàm inſtituere miniſtros ducesque ſpirituales, qui ſingulari ſtudio, ea quæ fidem tangunt, contra hæreticos exequerentur: vnde S. Tribunal erexerunt contra prauitatem hæreticam, fideique Apoſtatas. Hoc autem munus zeloſis commiſſum eſt Inquiſitoribus duces eſſe huic officio ſtrenuiſſimos; & ad hoc eliguntur in Eccleſia; ita vt de illis dicere Deo liceat, illud Iſaiæ loquendo de Eccleſia: *Super muros tuos Hieruſalem cõſtitui cuſtodes, tota die ac nocte in perpetuum, non tacebunt.*

Iſai. 62.

Cir

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I. Eccle-ſia le-ctus Chri-ſti.

O Ciuitas eminentiſſima, ſancta Eccleſia, Dei regnum cuius murus cuius ſpes eſt fides; huic muro præfiguntur vigiles, duces fortiſſimi, qui ſepem perpetuò cuſtodiant inconcuſſam: *Cuſtodes.* D. Cyrillus Angelos interpretatur, præcipuè Doctores, & zeloſos Prælatos; nec repugnat illos mirabiles intelligi cuſtodes, Apoſtolicos ſcilicet Inquiſitores: *Cuſtodes.* Videtur autem hoc poſſe declarari per illud quod Spiritus S. de lectulo prædicauit Salomonis: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.* Hoc exponunt aliqui ad litteram de Salomone, cuius ſublimem nobis gloriam ac magnificentiam deſcribit Spiritus S. ac opinantur, huius eſſe partem magnificentiæ, turmam eligi ſexaginta fortium, qui ſingulis noctibus lectulum ambirent Salomonis: huic ſuccurrit, quod Abbas Rupertus expendit; ex diuerſis illud S. Scripturæ locis eliciens; quòd ſcilicet Salomon electos haberet ſexaginta fortiſſimos. At ſubtiliter D. Gregor. Nyſſenus & Theodoret probant, hoc non tam de perſona Salomonis, quàm Chriſti intelligendum, cuius Salomon figuram exprimebat: Salomon enim inquit Theodoret, idem eſt: *Ac pacificus Princeps pacis.* Quod proprium Chriſto vocabulum eſt. Lectulus Chriſti eſt Eccleſia, & lectulus dicitur, non ſine myſterio: infideliũ enim congregatio, lectus magnus eſt, vbi multi recubant dij, & licet vnus Deus recumbat, locus eſt & alteri, & alteri, & millenis, vt apud Romanos conſtat: At noſter hic lectulus vnum ſolum capit Deum, & hoc eo quidem modo, vt ſi alterum adiunxeris, prior ſecedat: *Vnus Deus,* ait Apoſtolus conformiter illi Deuteronomij: *Audi Iſrael: Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.* Locus duobus aut tribus dijs non patet, quod D. Auguſt. eleganter expendit. Et ni fallar, hoc nobis Dominus per Iſaiam ſignificat: *Coangustatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue, vtrumque operire non poteſt.* Dum à deo ſecedis, vel alterum admittis Deum, egrediendo, vel pedem vel manum animæ efferendo ab vna fide, vno Pontifice Romano, vna confeſſione, iam extra Eccleſiam diuagaris, quæ idcirco diminutiuè lectulus dicitur. Licet alij alias aſſignarent rationes; ſcilicet, quòd in principio fuerit Eccleſia tam exigua, qualem, fuiſſe nouimus: vtiore merito Chriſtus ſuis dixerit: *Nolite timere puſillus grex.* Hoc lectulo pacificus requieſcit Salomon Chriſtus, hic fixum habet habitaculum: *Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Non lectulum illum vult ipſe deſerere, pro libitu eorum, qui illũ conãtur exturbare; proinde vigiles poſuit: *Conſtitui cuſtodes,* ait Iſaias, & hic, *Sexaginta fortes ambiunt.*

Cant. 3. 7. — Ad lit. — Orat. 6 in Cant. — Iſai. 9. 6. — Epheſ. 1. — Deut. 6. 4. — L. 1. de conſ. Euang. per multa capita. — Iſai. 28. 20. — Luc. 12. 32. — Matt. 28. 20.

II. Hunc lect[ulum] defendunt ſexaginta fortes.

Licet autem intelligant quidam, hunc numerum determinatum ſexginta poni pro indeterminato, phraſi S. Scripturæ familiari; notat nihilhominus D. Greg. quòd ex illo notarunt alij, hoc numero viros deſignari virtute perfectiſſimos: Numerus enim ſextarius, numerus eſt perfectionis, qui decies multiplicatus, ſexagenarium perficit. q. d. habet cuſtodes viros fortes, electos, perfectos, ex eminentiſſimis Iſrael, meritis, Chriſtiana pietate fidei zelo, virtutibuſq; cæteris præſtantiores: Optimè deſcribit Apoſtolicos Inquiſitores, vigiliæ regni Chriſti deſtinatos, hoc quippe nomen indicat inquiſitoris: *Propter timores nocturnos.* In hâc vitâ noctibus ambulamus, res clarè non dignoſcimus, ſed obſcurè, luce fidei colluſtrati, quam nobis aſſumimus velut candelam, ſeu lucernam ſicut noctictus obambulantes: illâ quippe metaphorâ nos D. Pet. alloquitur: *Cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Quia viuimus, & noctibus incedimus: *Omnes quippe inuoluimur tenebris.* Dixit ille amicus Iob. Pericula ſunt, fatentur omnes decipulas nobis ſtruunt hæretici: (a) Hinc requiruntur cuſtodes, qui nos à caſu defendant; & periculis eripiãt. Olim Epiſcopi & Doctores eligebãtur cuſtodes, de quibus D. Aug. *Sub ipſis paucis verbis in ſymbolo conſtitutis, plerique hæreticorum ſua venena occultare conati ſunt, quibus reſtitit, & reſiſtit diuina miſericordia per ſpirituales viros, qui Catholicam fidem non tantum in illis verbis accipere, & credere, ſed etiam Domino reuelante intelligere atque cognoſcere meruerunt.* Modo verò particulariter inſtituti ſunt Inquiſitores Apoſtolici: vt autẽ Eccleſia tranquilla pace cõquieſcat, & fidelium quiſque hoc lectulo dormiat inoffenſus: ratio poſtulat, cuſtodes tales adhibeãtur, hoc quippe eorum eſt officium. Plures inueniuntur, qui huius vitę tenebris abuſi, laruati diſcurrunt; quales depingit Apoſtolus: *Pſeudo Apoſtoli operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirũ: ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis, non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur, velut miniſtri iuſtitiæ: quorum finis erit ſecundum opera ipſorum.* Laruati, doloſi proſiliunt, quare ex neceſſitate eſt, perſpicaces conſtitui cuſtodes, qui doloſos detegant, & talibus ejciendis inuigilent diligentes.

Orat. 6 in Cant. — 2. Pet. 1. 19. — (a) Armar zancadillas. — D. Au. Lib. de fide & ſymbolo c. 1. Tom 3. — 2. Cor. c. 11. 13.

Currum contemplatur Ezechiel, populi Dei, eiuſq; Eccleſiæ defenſorum: at quis ille currus? quibus componitur? Animalibus multioculis.

III. Inquiſitores vigiles debent eſſe cuſtodes.

Hoc dicimus officium S. Inquiſitionis. Currus eſt à Deo in Eccleſia conſtitutus, eam ſibi ſumeret defendendam. Sanctum Tribunal, Domini Inquiſitores, animalia ſancta ſunt, plena oculis: hoc enim eſt Inquiſitores eſſe, eô animô inſtituuntur, & de eorum agit inſtutione S. Pater noſter Dominicus, vt multi oculi, ac lyncei, perpetuas agant indefeſſi vigilias. Notandum autem eſt, primarium cauſarum fidei iudicem eſſe Pōtificem, ipſius eſt definire, declarare, punire, & prohibere quidquid fidei iudicauerit eſſe contrarium: *Paſce oues meas*, mandat Petro Chriſtus, eum ſummum creans Pontificem: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Petro eiuſque ſucceſſoribus hanc tradit Saluator auctoritatem: Porro quia grex multus eſt, indiget ſupremus ille paſtor alijs paſtoribus qui ſedulò vigilent. Acceſſerunt Epiſcopi, qui vigilent, vnde & nomen ſortiuntur: *Epiſcopus ſuperintendens*: quinimò dixit alibi Cicero: *Poſuit me Pompeius Epiſcopum in Campania.* Ei namque illo in loco hoc muneris iniunxerat, vt intenderet, & diligentiùs ijs ſtuderet, quæ ibidē in quamlibet partem agebantur. Quinimo & D. Paulus optimè monebat: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos,* &c. *vigilate* &c. Inſuper notat D. Ambroſ. quod Angelus præcipiebat D. Ioanni, vt cuidam diceret Epiſcopo: *Eſto vigilans*, Epiſcopi namque congruè ſignificantur per Paſtores, qui *Cuſtodiebant vigilias noctis ſuper gregem ſuum.* Ad hoc illos deſtinauit, illorum curæ eſt ac ſollicitudinis vigilare, luſtrare gregem, vulpes, lupoſque qui gregem diſperdere moliuntur, procul amoliri: quocirca hoc illis officium iniungitur.

Ioann. 21.17.
Luc. 22. 32.
Act. 20 28.
Apoc. 3 2.
Luc. 2. 8.

Ea de cauſa, pro vt Paramo, tradit in exordio Eccleſiæ, in ſingulis Prouincijs quotannis binæ habebantur cogregationes, vt de rebus fidei fieret inquiſitio, & inter ſe conferrent, quid docerent, quid prædicarent, num nouitates introducerentur, & hoc per ſexcentos annos continuatum eſt vſque dum in Concilio ſexto Generali Conſtantinopli celebrato, determinatum fuerit, ob plurimas, quibus Epiſcopi detinebantur, occupationes, illæ Congregationes non niſi ſemel per annum celebrarentur, ad rerum fidei indagationem. Idem confirmatur in Concilio ſecundo generali Nicææ conuocato ſub Alexandro ſecundo; habeturque in decreto, quod idem obſeruatum fuit, vſque ad tempora S. Lucij Pontificis circa annum Domini 1181. & vſque ad Concilium Lateranenſe ſub Innocētio tertio anno Chriſti 1215. de quo Decretales. Vbi denuo committitur Epiſcopis tales faciant inquiſitiones, & ad hoc Synodos conuocent Prouinciales. Cum autem damna malaque multiplicarentur, nec non negotia creſcerent Epiſcoporum, mederi omnibus erat ἀδύνατον.

Lib. 2. de Ori. S. Inquiſitionis. c. 1.
IV. Olim fiebant cōgregationes de de rebus fidei.
Cap. quoniā 4. 15.

Notat D. Hier. illud Chriſti. Seminauit agricola bonum ſemen in agro ſuo, quem famulis cōmendauit curandum, at illi dormierunt: *At cum dormirent homines, venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici.* Chriſtus campi ſeminator Eccleſiæ, quàm electum ſemen ſeminauit: *Semen eſt verbum Dei*, Doctrinam fidei, ac Euangelij, & agrum commendauit miniſtris cuſtodiendum: *Poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* rerum Eccleſiæ ſollicitos, at alijs rebus intendendo dormitârunt. Hâc captatâ occaſione, potuit operâ hæreticorum hunc agrum intrare diabolus, & huic cœleſti ſemini, ſectas, ac hæreſes inferni ſuperſeminare. Et hoc licet ſemper verum fuerit, ſpecialiter tamen tempore D. Dominici: ad tantam quippe malitiam mundus increuit, vt illum perdere Dominus voluerit. Ob plurimas Epiſcoporū occupationes hoc in negotio actum eſt negligenter. Et quantum ſapio, de profundo inferni prodierunt omnes locuſtæ, hæretici, & antiquatæ hæreſes. Quibus totus orbis conflagrabat Albigenſes, Albarenſes, Eſperoniſtæ, Incapati, Galeati, Arnaldiſtæ, Beguini, Pauperes Lugdunenſes; quorum ira tæduit Alexandrum tertium, vt mœrore confectus exſpirârit. Miſit in Franciam Pontifex Abbates, vt huic occurrerēt malo, cōmiſſione & Apoſtolica munitos auctoritate. Procurat, ac diſponit, vt in defenſionē Eccleſiæ Tribunal erigatur, quod rebus fidei contra hæreticos tantummodo intendat. Velut alter Eſdras, dum reædificandam cogitat Hieruſalem, vt videt omnibus non poſſe proſpicere Sacerdotes, vtique cultui diuino deſtinatos ait Spiritus S. *Poſuimus cuſtodes ſuper murum die ac nocte contra eos:* Aderant enim iniurij: *Qui moliebantur inſidias circa murum:* nec qui intra muros ciuitatis erant, ſecuri quieſcebant. Et hic ſimiliter, ſunt qui moliuntur inſidias circa murum Eccleſiæ, nimirum hæretici, qui diabolicis inſtructi verſutijs, nouas introducere conantur opiniones; hic vigiles ſtatuuntur oppoſiti, inſtituuntur Inquiſitores, qui millenis oculis perſpicaces vulpinos detegant inimicos: *Qui moliebantur inſidias*, hæreticos: *Circa murum.* Murus fides eſt, qui nos & cingit & vnit. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma.* His omnibus non ſufficiunt Epiſcopi; eliganter igitur Inquiſitores: *Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die ac nocte,* &c. Argi centoculi, qui

cuſto-

cuſtodiant. Hoc autem ad inſtantiam ac diſpoſitionem S. Dominici factum eſt, & erectum ſub Innocentio tertio tribunal ſeu currus Inquiſitionis. Negare non poſſumus, quin multo ante fuerint Inquiſitores à ſede Apoſtolica conſtituti: Verumtamen Commiſſarij erant delegati, ad vnum aut alterum caſum, ad vnam aut alteram cauſam in particulari Cõmiſſarij Pontificij. Tribunal autem cum poteſtate ordinaria, numquã vſque ad tempora D. Dominici fuit erectum, quod definire poſſimus: *Virga vigilans* quam vidit Hieremias; virga id eſt imperiũ, auctoritas, tribunal, princeps qui vigilet, & ſuperintendat. Hæc eſt Inquiſitio; cum hoc, & hoc inſtituta eſt, eliguntur Inquiſiteres pleni oculis ſuper libros, doctrinam, perſonas, nationes, vt nihil agant aliud, niſi his perpetuò intendere, quo poſſit Eccleſia, vos, & ego, requieſcere. Vt eleganter dixit Zacharias Ferserius Epiſcopus Sardienſis in ſecundo hymno de S. Dominico, quem compoſuit, ex mandato Leonis Decimi.

Hier. 1.

Zacharias

Ergo ſolemnes repetamus hymnos
Et Sacerdotem veneremur, in quo
Roma ſecuro cubitat ſopore
Schiſmata contra.

Illo curru protegit, cingit, & munit Eccleſiæ murum, dum indefeſſis inſtant vigilijs cuſtodes Inquiſitores.

Examinemus illud: *Scitote, quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum:* In Hebræo legimus: *Sanctum es Hacam*, quod ſignificat *Sanctum & ciconiam*: quia eodem vocabulo voluit Deus ſignificari ſanctum, & perſecutorem venenatorum animaliũ, quales ſunt hæretici, quos ciconia perſequitur, titulus optimè conueniens Inquiſitoribus. Duo namque neceſſe eſt, habeant, ſint ſancti, perfecti, quatenus vt vigiles cuſtodiant, protegant, & fidem conſeruent illibatam.. Ciconia (teſte Iſidoro) perpetes gerit cum ſerpentibus inimicitias; ſollicitè eorum inquirit nidos, & vbi oua excludant, quæ deglutit, vnde & campi tam his, quam bufonibus, araneis, alijſque venenoſis animalibus expurgantur. Symbolum Inquiſitoribus proprium, hi etenim hæreticos perſequuntur, eorum quærunt & inquirunt nidos, ac ſtudio ſingulari eorum conantur oua reperire, hoc eſt eorum ſectas, errores, & falſas doctrinas indagare, & cum illis eorum euertere fraudes, quas texunt, vt illis ſeſe quaquauerſum extendant. O quale præmium à Deo ſperare poſſunt, ſi cum diligentia ſuum hoc munus exequantur. O qualis ciconia Dauid, qui Dei inimicos perſcrutabatur, illos deſtructurus, & quali Deus ipſum præmio cumulauit, Phineen ob feruentiſſimum zelum, quo Deus non extulit honore: voluit etenim vt *Sacerdotio fugantur perpetuo poſteri eius.*

Pſ. 44.

VI. Inquiſitores ciconiæ.

VII. Rotæ currus ſunt miniſtri.

Sunt pariter huius regis milites, & miniſtri Eccleſiæ, ſuique regni familiares, Conſultores, qualificati, cæterique Sacri huius Tribunalis miniſtri quos modo habemus. Vidit Ezechiel in curru ſuo rotas vt diximus quibus mouebantur dependenter à motu quatuor illorum ſanctorum animalium: *Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea.* Huius S. Tribunalis Inquiſitionis hoc quoque dicitur hyeroglyphicum: indiget enim qui moueat. Idcirco rationi congruum eſt, vt ſint familiares, alijque miniſtri, qui currum tribunalis moueant, ad motum, & directionem eorum, quæ illis iniungunt Inquiſitores. Numerum vidit D. Dominicus hæreticorum valde copioſum ac fortem nimis, ſuas verò vires illis reprimendis inferiores: vnde ſedis Apoſtolicæ approbatione, congregationem inſtituit miniſtrorum, qui armis inſtructi ipſis ſe opponerent hæreticis, illos perſequerentur, nec ab incœpto deſiſterent, donec illos deuincerent, proſtrarerent, & captiuos caperent, vtique puniendos. O qualem miniſtrorum cõflauit exercitum! Finis vero, ad quem hæc miniſtrorum eſt cõſcripta ſocietas, hic eſt, vt ſuas ſinguli conferrent vires, quibus hæreticos inquirerent, ſuperarent, vincerent, adducerent caſtigandos. Illæ rotæ currum ducunt S. Tribunalis; quia per Inquiſitores motæ, eorum erga hæreticos iuſſa adimplent & diſpoſitionibus obediunt. Illis ſuccedunt familiares, & miniſtri S. Officij Cruce ſignati: hoc quippe ſignum illis D. Dominicus attribuit. Hæc eius inſcriptio hanc circumferunt, albo nigroq; colore intertextam, ad normam habitus ſuæ Religionis; Crucis milites.

Ezec. 1. 19.

Propoſito maximè conuenit, quod de trecentis Gedeonis militibus circumfertur, quos Deus voluit ſub hoc numero eligi ad certamen. Numerus trecenteſimus apud Hebræos ſigno Thau, quod eſt Crucis ſcribitur: quia T crux eſt, dum ſcribis; & Thau forma eſt Crucis. Milites, qui ſub hoc Thau decertant in acie, ſunt illi qui eliguntur, rotæ plenæ oculis, docti, prudentes, impigri, qui ad imperium ſanctorum moueantur animalium quia *Cum euntibus ſtabant, & cum eleuatis à terra pariter eleuabantur*: illo igitur commoti ſpiritu, vita & diligentia, Dei ſtudent demoliri inimicos, cum ſint fidei defenſores, ſicut è contra hæretici fidem conantur euertere, eius ſicut Satanas, perſecutores infenſiſſimi.

In trecentis viris &c. liberabo vos. Iud. c. 7.

VIII. Trecentis Gedeonis militibus designati.